„ *In Eccl. Metrop. cant. 2. Miss. I. de Fest. post Tert. II. de Sab. post Non. in C. Viol. 2. Or.* Vigil., 3. Deus, qui de B. M. V. etc. *ut 23. Jun.*

† 21 C. Viol. Dom. IV. Advent. 2. cl. De ea sem. Invit. etc. ut Dom. praec. et ppr. loc. Ad *Benedict.* Ant. *Nolite timere.* quae hab. post lect. 3. n. S. Thomae Ap. Miss. sine *Glor.* Or. ibi., Cr., Praef. SS. Tri-

nit., et in fin. *Bened. Dno.* Vesp. de seq., com. Dom. Ant. *O Oriens.*

„ *In Eccl. Metrop. Min. etc. ut in Dom. I. Advent.*

R 22 C. R. Fer. 2. S. Thomae Ap. dup. 2. cl. (*fuit heri.*) Off. ut ibi., com. fer. Ant. *Dixit Dns.* in L. et M. ppr. cum Cr., et Praef. Ap. In 2. Vesp. com. seq. Or. *Da quaesumus;* et fer. Ant. *O Rex.*

Hodie L. N. h. 4. m. 28. vesp.

23 C. A. Fer. 3. S. Nazarii Ep. C. dup. (*fuit 19. Jun.*) *Mer. supr.*, ll. I. n. cur. fer., rel. I. loc., com. fer. Ant. *Ecce completa.* in L. et M. *Statuit.* In 2. Vesp. com. fer. Ant. *O Emmanuel.*

24 C. Viol. Fer. 4. Vigil. Nativ. D. N. J. C. *cum Jejunio.* De ea. Ad Matut. Invit. *Hodie scietis.* Absol. *A vincul.* Ben. *Ev. lect.* Ad Laud. et rel. Hor. fit Off. ritu dup. In Miss. ppr. sine *Glor.* et sine Cr. dic. unic. Or., et post *Grad.* omitt. *Allel.* et ℣. seq., et in fin. *Bened. Dno.* Vesp. de seq. sine com. In Hymn. *Jesu...qui natus.*, et sic usque ad Epiph. exclus., et deinc. post *Alma Redempt. etc.* dic. ℣. *Post Partum* etc. et Or. *Deus, qui salut.* usque ad 2. Vesp. Purificat. B. M. V. inclus.

„ *In Eccl. Metrop. Min. utunt. Dalm., Pluriale vero pro canendo Martyrol. debet esse C. Viol.* S. R. C. 22. Mart. 1817. N.° 4377. ad 8.

„ *Hodie et deinc. usque ad Oct. Epiph. inclus. prohib. Miss. Votiv. et Def., ac de cadente Anniv., non tamen prohib. Solemn. de Req. praes. Corpore.*

„ *Sacerdos celebratur. seq. nocte per 6. horas sit Jejunus ex congruentia.*

„ *In Eccl. Metrop. et alibi I. Miss. cant. post mediam noctem. II. Cras in Aurora, et non prius, nisi privileg. sit concess., et haec post Hor. Prim. III. in die post Tert.*

„ *Ante Auroram prohib. ministr. Sacrament. Poenit. et Euchar., praesert. mulierib. except. graviter infirmis.* S. R. C. 23. Mart. 1686. N.° 2956. ad 2.

„ *Si quis Sacerdos die seq. celebrare debeat in*

locis inter se dissitis, nec sit alius Sacerdos, qui Calicem primo adhibit. purificet, idem Calix transferend. est pro reliq. Miss. Ut autem decentiae ac reverentiae Sacramento debitae consulatur, Sacerdos post sumpt. Sanguinis Calici impurificato imponat Patenam et Pallam, quas cooperiat velo, quod etiam circumligab. Calici prout fit in reposit. Sacram. in Sepulcro Fer. V. in Coena Dni. Calicem vero sic coopert. et circumligat., defectu Tabernaculi, relinquat in Altari super Corporale usque dum, suo tempore, sic praeparatum decenter deferat ad aliam Eccl. ut ibi celebret etc., et in ult. Miss. illum purificet de more. S. R. C. 16. Sept. 1815. N.° 4365.

† 25 C. A. Fer. 5. Nativ. D. N. J. C. dup. 1. cl. cum Oct. (*Fest. Pal.*). Omn. ppr. ut ibi. In Miss. Cr. ad cuj. ℣. **Et incarnatus est.** in Miss. Solemn. omn. genufl., Praef. et *Communic.* ppr. per Oct. Ad Prim. ℣. *Qui natus.* usque ad Epiph. exclus. In 2. Vesp. com. seq. et Omn. Ss. Martyr. Ant. etc. ex Lib. nov.

„ *Hodie prohib. Miss. in Orat. priv. nisi privileg. sit concess. infirmo, et Solemn. de Req. etiam praes. Cadav.*

„ *Hac die celebr. possunt 3. Miss. In I. et II. non purif. Calix, nec sumenda est ulla purificatio; Sacerdos enim omnes Miss. Jejunus celebrare debet; et dictis Orationib. consuetis abluant. digiti in vase mundo, et absterg. Purificatorio. Et si quis per accidens sumpserit Purificat. in I. vel II. Miss. debet abstineri a celebrat. aliar. Missar. Item in I. Miss. ad* Communic. *dic.* Et noctem. *In 2. Miss. omitt. com.* S. Anastasiae; *in III. vero sumunt. omnes Purificat., et in ejus fin. legit.* Ev. Epiph. *Qui unic. Miss. celebrat dic. III. non vero I. vel II.*

† 26 C. R. Fer. 6. S. Steph. Protom. et Commem. Omn.
R Ss. Martyr. dup. 2. cl. cum Oct. (*Fest. Praep.*) Off. ut ibi., com. Omn. Ss. Mm. ex Lib. nov., et Oct. Nativ. Dni in L. et M. ppr. (*Or. etc. pro Ss. Mm. ex Fol. nov.*); Cr., Praef., et *Communic.* ut heri.

Vesp. de Nativ. a cap. S. Steph., com. Omn. Ss. Mm., seq., et Oct. Nativ.

R 27 C. A. Sab. S. Joan. Ap. et Evang. dup. 2. cl. cum Oct. Off. ut ibi., com. 2. Oct. in L. et M. ppr., Cr. etc. ut supra. Vesp. de Nativ. a cap. S. Joan., com. seq., et 2. Oct.

† R 28 C. R. Dom. (*vacat*) Ss. Innocent. Mm. dup. 2. cl. cum Oct. Off. ut ibi. In 3. noct. loc. 2. Ant. *Tradiderunt.* etc. dic. *Isti sunt.* Ad 8. ℟. dic. *Glor. Patr.*, et omiss. 9. ℟. dic. *Te Deum*; com. 3. Oct. in L. et M. ppr. cum *Glor. in excels.* Ad *Grad.* omiss. *Tract.* dic. *Allel.* et ℣. seq. cum Cr., Praef. etc. ut supra, et in fin. *Ite Missa est.* Vesp. de Nativ. a cap. Ss. Innoc., com. seq., et 3. Oct.

R 29 C. R. Fer. 2. S. Thomae Cantuar. Ep. M. sem., ll. I. n. *A Mileto;* rel. ibi., com. 4. Oct. in L. et M. ppr., Cr. etc. ut supra. Vesp. de Nativ. ritu dup. a cap. de seq. Cr. *Praesta...ut qui.*, com. Dom. infr. Oct. Ant. *Dum medium;* praec., et 4. Oct.

30 C. R. Fer. 3. S. Nicephori M. dup., ll. I. n. *Incip. Ep. ad Rom.* ex Dom. infr. Oct., rel. in Lib. nov., 9. l. et com. Dom., et 4. Oct. in L. et M. *In virtute.* Ev. *Si quis vult.*, Cr. etc. ut supra. et Ev. Dom. in fin. Vesp. de Nativ. a cap. seq., com. praec., Dom. Ant. *Puer Jesus.*, et 4. Oct.

☽ *Hodie P. Q. h. 2. m. 09. vesp.*

R 31 C. A. Fer. 4. S. Silvestri Pp. C. dup. ut ibi., com. 4. Oct. in L. et M. ppr. cum 6. Or. *Deus, cuj. Misericord. etc.* pro gratiar. actione, quae patet post Miss. Votiv. SS. Trinit., Cr. etc. Vesp. de Circumcis. Dni sine ulla com. C. A.

„ *In Eccl. in quibus asserrat. SS. Euchar. Sacrament. solemn. cant. Hymn.* Te Deum. *in gratiar. actione pro beneficiis a Deo hoc anno collatis.*

LITTERA MARTYROL. PRO SEQ. ANNO ERIT i. MINUSC.

O. A. M. D. G. B. M. V. H.

SUFFRAGIA

DE SS. PATRONIS ET PROTECTOR. ARCHI-DIOECESIS

DICENDA POST COMMEM. SS. AP. PETRI ET PAULI.

AD LAUDES.

Antiph. Laudemus Viros gloriosos, et parentes nostros, quorum sapientiam narrant populi, et fidem nunciat Eccles.

℣. Orate pro nobis Ss. Martyres, et Protectores.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Qui ℣. *et* ℟. *tam ad Laud. quam ad Vesp. dic. ab Oct. Epiph. usque ad Purificat. B. M. V. tant; deinc. vero, quia* ℣. Ora pro nobis etc. *dict. fuit pro S. Maria sumat.*

℣. Exultabunt Sancti in gloria.

℟. Et laetabuntur in cubilibus suis.

Quae si in Off. recitata fuerint, loc. ipsor. dic:

℣. Laetamini in Domino et exultate Justi.

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Quae si quoque fuerint dicta, sumat.

℣. Exultent Justi in conspectu Dei.

℟. Et delectentur in laetitia.

OREMUS.

Precibus et meritis Ss. Martyrum tuorum Hilarii, Tatiani; Hermagorae, et Fortunati concede nobis, Omnipotens et Misericors Deus, ut in fide, quam, Te docente, praedicarunt, humiliter, et constanter perseverantes, eorum gloriae in aeterna beatitudine copulari mereamur.

AD VESPERAS.

Antiph. Hi sunt Viri Sancti, qui pro testamento Dei laverunt stolas suas in Sanguine Agni, et ideo nomina eorum vivent in aeternum.

℣. Orate pro nobis etc. | *ut supra usque ad Pa-*
℟. Ut digni efficiamur etc. | *rificat. deinceps.*
℣. Laetamini in Domino etc.
℟. Et gloriamini etc.

Quae si fuerint recitata dic:

℣. Exultabunt Sancti etc.
℟. Laetabuntur etc.

Quae si parit. fuerint dicta sumat:

℣. Exultent Justi etc.
℟. Et delectentur etc.

OREMUS.

Precibus et meritis Ss. Martyrum tuorum etc. *ut supra.*

In devot. publ. pro Celsissimo et Reverendissimo Antistite nostro seq.

ORATIO.

Deus, omnium fidelium Pastor et Rector, Famulum tuum **Franciscum Xaverium**, quem Pastorem Ecclesiae tuae Goritiensi praeesse voluisti, propitius respice; da ei quaesumus, verbo et exemplo, quibus praeest proficere, ut ad vitam, una cum grege sibi credito, perveniat sempiternam. Per Dominum. etc.

CASUS RESERVATI.

A quibus, excepto casu necessitatis, nonnisi exquisita et obtenta a Celsiss. ac Reverendiss. Domino Ordinario facultate, absolvere licet.

I. Furtum rerum Sacrarum in loco Sacro commissum.

II. Abortus foetus sive animati, sivi inanimati reipsa procuratus.

III. Homicidium voluntarium et intentum, sive per se, sive per alium, perpetratum.

IV. Actus venereus cum haebreis, et inter Confessarium, ac Poenitentem consumatus.

V. Attentatio machinationis, aut conjurationis contra terrae Principem.

EXAMINA GENERALIA.

pro beneficiis curatis habentur hoc anno:

Primum. 20. Maii et sequentibus.
Secundum. 3. Augusti et sequentibus.

DIES NORMALES.

Quibus omnis generis spectacula publica, saltationes delectationesque etc. in Statibus Caesareo-regis juxta Supremam Resolutionem die 19 Augusti 1826 datam. Decreto Excelsae Caes. Reg. Cancellariae Aulicae de dato 24 ejusdem Mensis ad n. 24337 publicatam, ac Decreto Excelsi Caes. Reg. Guberni Litoralis sub die 19 Septembris praedicti anni n. 17543 horsum communicatam, prohibentur:

I. Ultimis tribus diebus Adventus;
II. In Festo Nativitatis Domini;
III. Feria IV. Cinerum;
IV. In Festo Annunt. B. M. V.;
V. A Dom. Palm. usque ad Dom. Resurrect. Domini inclusive;
VI. Dom. Pentecost.;
VII. In Festo SS. Corporis Cristi;
VIII. In Festo Nativitatis B. M. V.

Insuper prohibentur Musicae saltatoriae et choreae publicae, aeque ac privatae, etiam toto Adventus Domini tempore, et sequentibus diebus usque ad Epiphaniam inclusive; a die Cinerum usque ad Dominicam in Albis pariter inclusive; omnibus diebus jejunii de praecepto, nec non diebus Veneris et Sabbati per totum annum.

STATUS PERSONALIS

ET LOCALIS

ARCHI-DIOECESEOS

GORITIENSIS

EXEUNTE MENSE NOVEMBRI 1850

APPENDIX

AD DIRECTORIUM LITURGICUM



GORITIÆ

TYPIS SEITZ

SERIES
ANTISTITUM AQUILEJENSIUM
ET GORITIENSIUM
CUM NOTIS

SERIES
Antistitum Aquilejensium
*Anni asterisco * notati certe determinari nequeunt.*

N.	Ab anno	Ad annum	1. Episcopi.
1	63*	. . .	S. Hermagoras, Germanus
2	. . .	90*	S. Hilarius seu Helarus, Aquilejensis
3	. . .	. . .	Chrysogonus I. Græcus
4	. . .	. . .	Chrisogonus II. Græcus
5	. . .	. . .	Agapitus
6	314	. . .	Theodorus
7	. . .	. . .	Benedictus
8	347	. . .	Fortunatianus, Afer
			2. Archiepiscopi.
9	369*	389*	S. Valerianus, Gallus
10	389*	407*	S. Chromatius, Aquilejensis
11	407*	. . .	Augustinus, Beneventanus
12	434*	. . .	Adelphus seu Delfinus, Altinas
13	. . .	. . .	Maximus
14	444	447*	Januarius, e Pola in Istria
15	451	454	Secundus, Salicus
16	454*	. . .	S. Nicetas, Græcus
17	485*	. . .	Marcellianus, Græcus
18	500*	515*	Marcellinus, Romanus
19	521*	. . .	Stephanus, Mediolanensis
20	529	. . .	Mecedonius

N.	Ab anno	Ad annum	3. Patriarchae SCHISMATICI	ORTODOXI
21	557	569	Paulinus I. seu Paulus Roman.	. . . .
22	569	571	Probinus, Beneventanus	. . . .
23	571	586	Elias, Græcus	. . . .
24	586	607	Severus, Ravennas	. . . .
			AQUILEJÆ	IN ISULA GRADO
25	607	. . .	Joannes I. Aquilejensis	607 Candidianus Ariminensis
26	. . .	. . .	Marcianus, Piranensis	612 Epiphanius e Castro Umago in Istria.
27	628	. . .	Fortunatus	613 Ciprianus Polan.
28	. . .	. . .	Felix	628 Primog. Aretinus
29	. . .	. . .	Joannes II.	648 Maximus, Dalm.
30	. . .	. . .	Joannes III.	668 Stephanus, Parentinus.
				673 Agatho. Justinopolitanus.
				685. Christophorus, Polanus.

ORTODOXI, SCHIMS. SUBLATO, AQUILEJÆ.

31	698	711	Petrus I. Polanus
32	711	717	Serenus
33	717*	737*	Calistus
34	762*	776	Sigvaldus, Forojuliensis
35	776	802	S. Paulinus II. Forojuliensis
36	. . .	811*	Ursus I. qui et Urbanus
37	811*	. . .	Maxentius
38	. . .	847*	Andreas, Forojuliensis
39	847*	850*	Venantius, Italus
40	850*	871*	Teutimarus, Germanus
41	871*	874*	Lupo seu Lupus I.
42	875*	901*	Valpertus
43	901*	. . .	Fridericus I.
44	928	. . .	Leo, Forojuliensis
45	931	. . .	Ursus II.
46	. . .	. . .	Lupo seu Lupus II.
47	. . .	. . .	Hengelfredus, Germanus
48	963	. . .	Rodoaldus, Germanus
49	984	. . .	Joannes IV. Ravennas
50	1019	1042	Popo vel Volffgangus, Germanus ([1]

N.	Ab anno	Ad annum	
51	1042	1049	Eberardus, Germanus
52	1049	. . .	Goteboldus, Germanus
53	. . .	1068	Ravengerus seu Ravenger, Germanus
54	1068	1077	Sigeardus e Comitbus de Pleien, Germanus
55	1077	1084	Henricus, Germanus
56	1084	1085	Fridericus II. Slavus
57	1085	1122*	Uldaricus I. e Ducibus Carintiæ qui et Volricus, Voldaricus et Vorlicus
58	1122	1128	Gerardus, Forojuliensis
59	1132	1161	Peregrinus I. e Ducibus Carintiæ
60	1161	1182	Uldaricus II. e Comitibus de Treven.
61	1182	1195	Gotefredus
62	1195	1204	Peregrinus II.
63	1204	1218	Volcherus de Leubrechtskirchen, Germanus
64	1218	1251	Bertoldus ab Andechs
65	1251	1269	Gregorius de Montelongo, Campanus
	1269	1273	„ „ Sedes vacabat
66	1273	1299	Raimundus Turrianus, Mediolanensis
67	1299	1301	Petrus II. Gera, Ferentinas
68	1302	1315	Ottobonus de Razzis, Placentinus
69	1316	1318	Gastonus Turrianus, Mediolanensis
70	1319	1332	Paganus Turrianus, Mediolanensis
	1332	1334	„ „ Sedes vacabat
71	1334	1350	B. Bertrandus e Comitibus Scti Genesii Gallus
72	1350	1358	Nicolaus, Joannis Regis Boemiæ filius
73	1358	1365	Ludovicus Turrianus
74	1365	1381	Marquardus de Randeck, Augustanus
75	1381	1387	Philippus de Alenconio, Gallus
76	1387	1394	Joannes V. e Marchionibus Moraviæ
77	1395	1402	Antonius I. Cajetanus, Romanus
78	1402	1408	Antonius II. de Portogruaro – Antonius III. da Ponte, Venetus
79	1408	1435	Ludovicus II. Teckius, Hungarus
	1435	1439	„ „ Sedes vacabat
80	1439	1465	Ludovicus III. Scarampus Mediorota, Patavinus 1439. – Alexander, e ducibus Massoviæ, Polonus
	1465	1471	„ „ Sedes vacabat

N.	Ab anno	Ad annum	
81	1471*	1491	Marcus I. Card. Barbus, Venetus
82	1491	1493	Hermolaus I. Barbarus, Venetus
83	1493	1497	Nicolaus II. Donatus Venetus
84	1498	1517	Dominicus Card. Grimanus, Venetus
85	1517	1546	Marinus Card. Grimanus, Venetus
86	1546	1592	Joannes VI. Grimanus, Venetus
87	1592	1616	Franciscus Barbarus, Venetus
88	1616	1622	Hermolaus II. Barbarus, Venetus
89	1622	1628	Antonius IV. Grimanus, Venetus
90	1628	1629	Augustinus II. Gradonicus, Venetus
91	1629	1656	Marcus II. Gradonicus, Venetus
92	1656	1657	Hieronymus Gradonicus, Venetus
93	1657	1699	Joannes VII. Card. Delfinus, Venetus
94	1699	1734	Dionysius Delfinus, Venetus
95	1737	1751	Daniel Card. Delfinus, Venetus.

SERIES

ANTISTITUM GORITIENSIUM.

I. Archiepiscopi. S. I. Principes.

1	1752	1774	Carolus Michael e Comit. ab Attems Gorit. (²
2	1774	1784	Rudolphus Joseph. e Comit. ab Edling, Gorit.

II. Episcopi goritienses seu gradiscani.

3	1788	1816	Franciscus Philipp. e Comit. ab Inzaghi, Styr.
4	1819	1830	Josephus Walland, Carniolus

III. Archiepiscopi, Metropolitae regni illyrici.

	1830	1834	Josephus Walland, idem qui supra
5	1835		Franciscus Xaverius Luschin, Imp. Austr. Princeps, Carinthus.

ADNOTATIO.

Instrumentum Consecrationis Basilicae Aquilejensis, ac Dotationis Capituli ejusdem, desumptum de autentico exemplo in Archivio hujus Ordinariatus asservato.

In nomine Domini. Amen.

Hoc est exemplum quarumdam literarum, sive Bullarum Papalium seu infrascriptorum Pontificum, ac quorumdam privilegiorum, aliorumque instrumentorun et jurium ad Capitulum Aquilejensis Ecclesiae spectantium et pertinentium quorum tenor talis est:

Cum summus ille Paterfamilias ad excollendam vineam suam ab exordio usque ad finem mundi innumeros quotidie cultores vocare non desinat, inter ultimos me Popponem, licet inutilem et indignum operarium in sua sancta Aquilejensi Ecclesia dignatus est advocare. Et quia idem Paterfamilias benignus et misericors retributor in meritorum retributione novissimos primis novit misericorditer coaequare, licet ad undecimam horam servus operator accessi, inter ultimos tamen sperans me aliquam portionem accepturum, in eadem vinea Domini, prout potui, studui laborare. Videns itaque ego praedictus Poppo, ejusdem Sanctae Aquilejensis Ecclesiae Patriarcha eandem Aquilejensem Urbem, quondam famosissimam paganorum scientia, omnibus aedificiis et munitionibus destructam, et maxime Ecclesiarum decore destitutam: inspirante divino omnium bonorum auctore hanc Ecclesiam fabricavi, et eo auxiliante eam in honorem Sanctae Dei genitricis et perpetuae Virginis Mariae, Sanctorumque Martyrum Hermagorae et Fortunati unacum pluribus Episcopis consecravi; in qua de diversis locis, et maxime de Romana Ecclesia plurimas Sanctorum reliquias summo et ardenti studio congregavi, et studiosissime collocavi. Ob Sanctorum igitur reverentiam, et amorem **Jesu Christi**, qui est caput et sponsus Ecclesiae, qui eam dilexit, et seipsum tradidit pro ea, in hac eadem Ecclesia Aquilejensi quinquaginta fratres ad serviendum **Deo** et Sanctis suis ordinavi. Quibus et de consilio et voluntate Advocati ejusdem Ecclesiae honorabilis viri Vulperti nec non de consilio duorum Romanorum Pontificum, Joannis et Do-

donis (1) simulque caeterorum Coepiscoporum fr. Ruodberti Concordiensis, Joannis Polensis, Vodalrici Petenensiis Azzonis Civitatis novae, Adalgerii Tergestini, Rothari, Tervisiani, Aistulphi Patavini, Herrmani Belunensis, Vodalrici Brixiani, Rigitonis Feltrensis, Hermingeri Cetenensis, Vodalrici Tridentini quaedam de bonis ejusdem Ecclesiae, quasi de sinu matris accipiens, eis fratribus seu filiis educandis concessi, et ad ea quae ab antecessoribus meis illis tradita fuerant, adauxi, ut his adminiculis consolati **Deo**, et Sanctis ejus hic constitutis fideliter serviant, ac pro statu regni et Sacerdotii, pariterque pro vivis atque defunctis **Dei** misericordiam exorare valeant. Juxta Apostolicam enim sententiam justum et rationabile est, ut qui Ecclesiae serviunt, de Ecclesia et vivant. Haec autem sunt quae ad praedictorum fratrum praebendam dedi et ordinavi. In primis villam de Melereto cum omnibus finibus et pertinentiis suis, sitis in villa sclavorum, quae similiter dicitur Meleretum, et Palmata, et Roncha, et Ronchetas cum agris, vineis, pratis cultis et incultis, silvis et venationibus usque ad Silvam S. Laurentii, et usque ad villam, quae dicitur Antonianum, et usque ad Feletas, et usque Bicinis, et usque ad villam S. Stephani, et usque Cleulan. Similiter et villam de Castellone et de Mursiano cum finibus et pertinentiis suis, a villa S. Andreae usque ad villam quae dicitur Gonarium, et usque ad silvam cum omnibus redditibus suis, cum agris, vineis, pratis, pascuis cultis et incultis, cum paludibus et silvis, cum venationibus, cum aquis aquarumve decursibus, cum molendinis et piscationibus eis trado, atque confirmo. Villam et de Mariano et villam de Carlinis, et villam S. Georgii cum omnibus redditibus suis cum campis, vineis, pratis, pascuis cultis et incultis, cum aquis aquarumve decursibus ac molendinis, insulis a mari et a flumine, quod dicitur Cornium usque ad aquam, quae dicitur Arnuncus cum paludibus et piscationibus, cum silvis et venationibus, Mihi et successoribus meis omni utilitate sublata eis perpetualiter habendas concessi. Trado insuper eis in omnibus supradictis beneficiis eorum Ecclesias baptismales cum Capellis sibi

(1) Erant enim S. Rom. Ecclesiae Cardinales Episcopi in Urbe Roma, sub Pontificatu Joannis XIX, quem in eorum distinctionem *Apostolicum* nominat. Vide Monumenta Eccl. Aquilej. de Rubeis pag. 519.

pertinentibus, et ut Praepositus eorum de caeteris eis largius ministrare valeat, et ipsas Ecclesias ad suam utilitatem ordinet et habeat. Similiter in foro Aquilejensi triginta stationes, et in portu piri viginti eis concedo, et ad eorum servitium vel utilitatem dispono. Eorum itaque orationibus me committens ut pro salute mea tam animae quam corporis, et ut pro vivis atque defunctis **Dei** misericordiam fideliter deprecentur, eos sub testimonio et praecepto Christi devote commendo. Successores quoque meos in Christo similiter peto et moneo, ut quod eis tam pro eorum, quam pro mea salute ordinavi, **Dei** timoris pariter et amoris, et suae memores salutis minime infringant; sed scientes pro malefactis poenas, pro benefactis praemia suscepturos, omni tempore ratum et stabile esse permittant. Rogo insuper eos, ut locum istum et fratres sic misericorditer tractent, sicut **Deum** et Sanctos ejus cupiunt habere propitios.

Quodsi aliter, quam disposui de omnibus sopranominatis rebus, quod nec spero nec cupio, facere voluerint, habeant Sanctam Mariam et omnes Sanctos a me hic positos, accusatores in die judicii, et eum qui est Sanctus Sanctorum, Christum Judicem. Si vero aliae quaelibet personae hoc a me factum infringere, vel turbare, et aliquo ingenio, aut violentia mutare praesumtuose tentaverint, sub Anathemate positi corporis et animae duplicem poenam percipiant; corporis quidem, ut Psalmista ait: veniat mors super illos et descendant in infernum viventes; animae vero, ut in die judicii perpetua damnatione cum Anania et Juda, traditore Domini, sine fine damnentur.

Quod ut verius credatur, et diligentius observetur, hanc paginam per manum Bertoldi notarii scribi praecepi, atque sigilli mei impressione insigniri feci.

Actum in eadem Ecclesia Anno Dominicae Incarnationis Millesimo tricesimo primo Indictione XIV. III. Idus Julii residente Domino Joanne Apostolico in Urbe Roma; regnante vero Conrado Imperatore Augusto imperii sui anno quinto; Pontificatus autem ejusdem Domini Popponis anno XII.; residentibus autem duobus Romanis Pontificibus cum caeteris praedictis Episcopis et Clericis; astante Vulperto advocato cum reliquis laicis hujus Ecclesiae fidelibus peracta Consecratione, expletis Missarum

Solemniis, Ego praedictus Poppo, Sanctae Aquilejensis Ecclesiae Patriarcha, gaudens et exultans, et **Deo** gratias agens, qui non meis meritis, sed secundum magnam Misericordiam in bonis adimpleverat desiderium meum, coram cunctis adstantibus hanc cartulam ordinationis meae Sanctae Dei genitrici Mariae, Sanctisque Martyribus Christi Hermagorae et Fortunato obtuli, et propria manu subscribens omnes adstantes Episcopos cum Vulperto advocato, et quibusdam laicis subscribere invitavi, ac sic praedictis fratribus perpetuo habenda, et possidenda propria manu donavi.

† *Ego Poppo Sanctae Aquilejensis Ecclesiae Patriarcha propria manu subscripsi.*

Ego Octavius Coluccius, Canonicus Concordiensis, pubblicus imperiali auctoritate Notarius, et Reverendi Capituli Ecclesiae Aquilejensis Canc., praemissa omnia et singula de alio exemplo authentico, exemplato manu olim Domini de Belgrado dum viveret, civis Utini publicique Notarii, contento in quodam libro, in quo reperiuntur exemplata per eundem Notarium diversa jura praefati R.di Capituli, tabulis cooperto, ac in membranis conscripto, existenti inter alios libros et scripturas ejudem Rdi Capituli aliena manu mihi fida partim, et partim manu mea requisitus fideliter detrahi feci, ac extraxi, et collationata cum originali concordare inveni.

In quorum fidem me hic subscripsi, signumque meum apposui consuetum, ac solito sigillo R.di Capituli corroboravi.

(L. S.)

1580 Ind. 8. die Vvmo Aprilis.

In actis And. de Varoniis Notorii Pad. etc.

Vidi **Franciscus Xaverius**
Archiepiscopus Goritiensis.

(2) *Ex jam in hisce notis superioribus annis citata Provinciali et Archi-Dioecesana Synodo a Proto-Archiepiscopo nostro Carolo Michaeli e Comitibus ab Attems anno 1768 Goritiae celebrata, ad Cleri populique instructionem, sequentia ponimus.*

CONSTITUTIO XIV.

De Sacramento Poenitentiae.

(1) Multiplex Misericordia **Dei**, ita lapsibus solet subvenire humanis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per poenitentiae medicinam, spes vitae reparetur aeternae, ut qui regenerationis dona peccando violassent proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum poenitendo pervenirent. Mediator enim **Dei** et hominum homo Christus **Jesus** cognoscens figmentum nostrum hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus Actionem poenitentiae darent, et eosdem sacerdotali Absolutione purgatos, ad Divinae gratiae reparationem per januam reconciliationis admitterent.

Quemadmodum vero hoc Sacramentum velut secunda post naufragium tabula lapsis post Baptismum non secus, ac Baptismus nondum regeneratis, ad salutem necessarium est necessitate Medii vel in re, vel saltem in voto; ita Pastoralis nostri muneris ratio requirit, ut quae ad illud piè, ac fructuose suscipiendum, tum prudenter, ac religiose ministrandum pertinent, in hac Synodo diligenter sanciamus.

In hujus igitur explicatione Sacramenti Parochi sedulo, et accurate versentur, quaeque ad illius necessitatem, institutionem, efficatiam, et ad singulas ejus partes pertinent, ita docere satagant, ut ea omnia, et singula fideles non solum intelligant, sed etiam, ubi hoc Sacramentum suscipiunt, re ipsa piè et religiose observent. Doceant quid, et quotuplex sit Contritio? qua ratione tam Contritionis perfectae, quam attritionis actus cum proposito eliciendus? quomodo instituendum Conscientiae examen? inquirenda tum commissionis, tum omissionis peccata contra,

(1) Leo Mag. Epist. 83, Cap. 2.

vel praeter legem **Dei**, et Ecclesiae, ac status sui ordinem? quid sit confessio? quomodo peragenda? quid satisfactio? quaeve illius vis, et necessitas? Ostendant praeterea nullam rem Christi fidelibus aeternae salutis adipiscendae cupidis tantopere cordi esse debere, quam ut frequenti peccatorum confessione conscientiam suam expiare, atque cum sibi sacerdotem stabilem confessionis ministrum deligere studeant, quem vitae integritas, doctrina, et judicii maturitas commendant.

Illud suis parochianis frequenter ingeminent, eosque hortentur, ne converti ad Dominum tardent, sed Sacramentum poenitentiae saepius frequentent, ac, si non singulis mensibus, in quadragesima saltem, et solemnioribus festivitatibus Domini, Beatae Mariae Virginis nec non omnium Sanctorum; praecipue vero cum indulgentias plenarias ex indulto Apoctolico lucrari possunt, peccata sua confessi, **Deo** per poenitentiam reconcilientur.

Tametsi autem Confessionis lege nemo adstrictus sit, antequam ad annos discretionis pervenerit, neque etiam aetas certo annorum numero definita sit, optimae consuetudinis erit, quam Parochis vehementer commendamus, ut pueros puellasque a prima statim aetate ad hujus Sacramenti cognitionem et usum assuefaciant, sed sacramentalem illis absolutionem non impertiantur, in quibus absolutionis materiam, et sufficientem ad hujus Sacramenti cognitionem, rationis usum non deprehenderint. Parochi in sua quisque Parochia perpetuam adhibeant diligentiam, ut aegrotantes, quamprimum eos decubuisse noverint, sine mora, etiam non vocati, invisant, et ad poenitentiae Sacramentum suscipiendum paternis consiliis, monitis ac praeceptis disponant, et inducant. Praegnantes quoque mulieres moneant Parochi, ut proximis ante partum diebus confiteantur. Medicos etiam hortentur, ut Apostolicae constitutionis Santi Pii V. "*super gregem*," et officii sui memores personas graviter, et periculose infirmas de confessione intra triduum peragenda moneant.

Nullus Parochorum, Cooperatorum, aliorumque tam de Clero regulari, quam saeculari Confessariorum pro hujus Sacramenti administratione aliquid sive a sanis, sive ab infirmis, eorumque domesticis sub quocumque etiam itineris ac tenuis sustentationis praetextu directe vel in-

directe exigat. Si quis contra hujus Sacramenti honorem hac in parte deliquerit ab audiendis Confessionibus arbitrio Nostro suspendetur, si unquam alias, tunc praecipue cum ad infirmos excurrendum est, Rectores Animarum meminisse opportet Verbi Domini **Jesu** Christi, ([1])quoniam ipse dixit: „ *Beatus est magis dare, quam accipere.* “ Exhibeant infirmis, maxime pauperibus, non interna solum Animae solatia, sed etiam aeterna corporis subsidia per elemosynam, plenam aliquando mercedem operis sui a Domino, qui in membris suis uti infirmatur, ita etiam reficitur, accepturi. Inhaerendo autem dispositioni ([2]) sacri Concilii Tridentini declaramus: nullum Sacerdotem, etiam regularem, posse confessiones Saecularium audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale Beneficium obtineat, aut a Nobis per examen, si videbitur esse necessarium aut alias idoneus judicatus fuerit, et approbationem obtinuerit: privilegiis et consuetudine quacumque, etiam immemorabili non obstantibus. Sed si periculum mortis immineat, approbatusque tunc desit Confessarius, omnibus notum esse debet, quemlibet sacerdotem posse absolvere ab omnibus peccatis et censuris, Nobis et sedi Apostolicae reservatis, cessante, eo casu, quacumque reservatione.

Haec porro facultas singulis annis renovetur, et ad determinatam Parochiam, in qua curam animarum ita approbatus exerceat, restringatur, nec extra limites districtus Archidiaconalis extendatur. Concedimus tamen ut sacerdotes vicinorum Archidiaconatuum in conterminis alterius Archidiaconatus parochiis, si in alterutro approbati sint, atque etiam in transitu, mutuam sibi invicem operam praestent; immo eandem facultatem respectu vicinarum parochiarum ad Sacerdotes etiam conterminae Dioecesis pro audiendis Confessionibus approbatos extendimus, et ut a decem primis casibus Nobis reservatis pariter absolvere queant, eisdem concedimus, si in magnis concursibus eorum Parochi opera uti velint.

Ad hujus Sacramenti ministerium obeundum nullum Sacerdotem approbatum iri declaramus, nisi quem matura aetas sensibus magis, quam annis computata, exemplaris

(1) Acta XX, 35.

(2) Sess. 23. de Refor., cap. 25.

vitae probitas, moram gravitas, doctrina sufficiens, ac [1] maxime prudentia commendet, quive ad audiendas Confessiones Saecularium assumentur, pro excipiendis Monialium Confessionibus approbati nequaquam censeantur, nisi specialem ad id in scriptis ab Ordinariis respectivis licentiam obtinuerint. [2]

Regulares ad audiendas Confessiones ad instantiam suorum superiorum seu cum, seu sine praevio examine approbati per luculentas casuum decisiones in Monasterio exerceantur, ac extra Ecclesiam sui Ordinis sine parochorum consensu non excipiant, ad aegrotos vero vocati, teneantur proprios aegrotantium parochos, si opus fuerit, ea de re illico certiores facere, ut hi quoque aliorum Sacramentorum administratione muneri suo satisfaciant.

In examine tres, ubi fieri potest, examinatores adhiberi volumus, qui de Sacerdotis ad excipiendas Confessiones deputandi eruditione, doctrina et capacitate experimentum sumant, et nisi quis duo nimirum ab examinatoribus suffragia tulerit, eum ad audiendas Confessiones, donec se perfecerit, approbari prohibemus.

Sacerdotes Confessarii semper cum habitu congruo, saeculares quidem cum veste Tallari, superpelliceo, ac stola violacei coloris; Regulares vero eo, quo ex Regulae praescripto festis diebus in choro utuntur, habitu induti, sedem confessionalem summo mane subeant, ut populus, sciens hanc sanctam consuetudinem, hoc Sacramentum frequentet, et si copiosus sit, ejusdem Devotioni satisfieri queat. Si peccati gravis sibi conscii sint, per sacramentalem Confessionem; si vero Confessarii desit copia, et poenitentiae administrandae urgeat necessitas, per humilem perfectamque Contritionem sese **Deo** conjugant, ne peccati labe polluti, dum alienis medentur vulneribus, seipsos sacrilegii jaculo confodiant.

Et quia ob varia, et insolita loca, poenitentes exaudiendi, Sacramenti poenitentiae Tribunal vix non exosum redditur, dum modernis temporibus, et maxime in magnis concursibus aliqui Confessarii in ambitibus, conventuumque sacristiis, in coemeteriis, et vix non in plateis exaudiunt, ac ubi poenitentes specialiter etiam feminae, ipsis

(1) Cap. quae poenitet. Dist. I. de poenit.

(2) Congr. Con. 4. Dec. 1694.

Confessariis ita adgeniculantur, ut sese invicem tangant, et ob poenitentium multitudinem os ad aures Confessarii quasi annexum habeant, huic abusui providere volentes, omnibus tum saecularibus tum regularibus Confessariis commendamus, ut quantum fieri potest, nonnisi in sedibus confessionalibus exaudiant, et Confessionalia in omnibus Ecclesiis, juxta concursuum exigentiam, ita extruantur, ut Confessarii ipsos poenitentes nec ingredientes, nec egredientes sive videre, sive noscere possint.

Novimus namque, quod poenitentes, quia a Confessariis visi, et iisdem noti, ob verecundiam aliqua quandoque peccata, et peccatorum species reticere soleant, sicque sacrilegia committant. Quare confessionalia jam extructa remoderari possunt, eorumdem portam ita elevando, vel Confessarios tegendo, ut inde circumquaque aspicere nequeant, vel confessionalium latera ita asseribus tegendo, ut Confessarii nec ingredientes, nec egredientes tam facile distinguere possint. Excipiuntur Sacerdotes Missam celebrare volentes; hi enim, et alii saeculares, exceptis feminis, in Sacristia poterunt exaudiri. Nec, quantacunque de integritate Confessionis esse debeat solicitudo, poenitentes de complice, seu socio criminis interrogabuntur. (1)

Intrinsecus in Confessionalibus super cratibus minutim perforatis casus Nobis reservati typo, vel scriptura in pagina expressi prostent; extrinsecus vero Crucifixi Salvatoris, vel alia imago ad poenitentiae affectum ordinata collocetur, quae poenitentium animas ad veram provocet delictorum detestationem. Parochus semper primus se in confessionali sistat, ut ejusdem exemplo excitati reliqui Confessarii parati adsint. Confessiones praesertim feminarum seclusis necessitatis, vel infirmitatis casibus-extra Ecclesiam, et sedem confessionalem non excipiantur, ac licet omni tempore haec Coeli janua peccatoribus aperta esse debeat, nocturno tamen tempore, et ante auroram, aut post solis occasum non audiantur. Quodsi necessitas propter Confessarii infirmitatem, aut hiemis rigorem postulet, ut poenitentiae Sacramentum extra Ecclesiam privatos inter parietes ministretur in scabello, ubi poenitentes exaudiendi sunt, crates habeantur, feminarum Confessiones numquam nisi aperto cubiculi ostio, ut et Confessarius et poenitens

(1) Bened. XIV. in Const. audiendam etc.

conspici quidem, non audiri possit, excipiantur. Nec Confessarii unquam stando, sed pro Tribunali sacro, tanquam Judices a **Deo** destinati, sedendo poenitentes audiant.

Quod autem hucusque de Confessionalibus diximus, intelligendum esse volumus de illis etiam, quae apud filiales Ecclesias requiruntur, quas omnes pro diverso populorum concursu tribus ad minimum, vel quatuor sedibus confessionalibus instructas esse volumus.

Ut autem Confessarii, qui ruri et in pagis degunt, unum eumdemque omnes in excipiendis confessionibus modum teneant, id insuper adjungimus, et per universam Provinciam observari mandamus:

I.° moneantur Fideles, ut ad sacrum poenitentiae Tribunal accessuri, arma, baculos, aliaque ejusmodi deponant, affectatam in vestibus et corporis cultu pompam (feminae praesertim) nullam praeseferant, sed propriae conscientiae reatum agnoscentes, ea animi religione et corporis modestia, flexis genibus, oculis compositis, junctisque manibus ad sacerdotis pedes procidant, ut vere poenitentes dici, et delictorum veniam percipere mereantur.

II.° Confessarii paterno affectu et mansuetudine singulos poenitentes sine personarum delectu, excipiant, et ad regulandum tum proprium Juditium, tum confitentium conscientiam, statum poenitentis, si eum ante noverint, generatim perquirant; de tempore etiam, quo ultimam confessionem peregerit, interrogent; si quem longo tempore non confessum, nec bene paratam deprehenderint, vel ipsi summario examine eum juvent, vel in aliud opportunum tempus confessionem suam differat, et paratior accedat, hortentur; quodsi absque scandalo fieri nequeat, et id poenitens aegre ferat, eum patienter audiant; qui enim patientes non sunt, etiam ad hoc sacrosanctum officium apte esse non possunt; et summario per praecepta decalogi et Ecclesiae pro qualitate sui status examine, ad Confessionem, Contritionem et Propositum disponant, dispositum absolvant eique injungant, ut pro superanda hujusmodi difficultate in posterum soepius ad sacramentalem Confessionem accedat;

III.° si quem ex defectu debiti examinis, doloris, aut propositi vel ex verecundia peccatum aliquod grave, vel plura reticendo hactenus invalide confessum animadverterint, non facile dimittant, vel in aliud tempus protrahant,

cum experientia doceat, hujusmodi poenitentes, vel non redire vel timore perculsos in eo ipso, in quo ante peccaverunt, delinquere, et peccata sua occultare, sed pro conditione status poenitentis, eum praecepta decalogi et Ecclesiae percurrendo, quantum possunt, adjuvent, quoties ab illo tempore, quo primum ita invalide confessus est? Sacramentum poenitentiae, vel Eucharistiae sumpserit? vel an Matrimonium contraxerit, interrogent? eumque ad dolorem et propositum de omnibus universis peccatis disponant, ac injuncta eidem salutari poenitentia, absolutum in pace dimittant;

IV.° utrum poenitens injunctam sibi in praeteritis Confessionibus poenitentiam peregerit, vel praescripta adversus relapsum remedia adhibuerit, Confessarii interrogent, quod si neglexerit, injungant ut omissa quamprimum peragat. Si difficultatem adimplendae poenitentiae adferat, quam superare non possit, eam Confessarii cognito statu poenitentis, et qualitate peccati pro qua poenitentia injuncta fuit, in aliam pro sua prudentia et directione commutent;

V.° in rudium Confessionibus quaerant diligenter, utrum necessaria rudimenta fidei caleant, quae si eos ignorare adverterint, non propterea illico repellant, sed breviter, ac modo ad eorum captum accommodato, necessaria fidei, (1) et Religionis Mysteria ipsis proponant, eosque hortentur, ut Doctrinam Christianam diligenter frequentent. Quod si propter ingenii hebetudinem capere, et discere non possint, ad tempus, donec ea utcunque addiscant, ipsis absolutionem differant.

Caveant praeterea Confessarii, ne poenitentes in magnis praesertim (2) concursibus dimidiate a peccatis absolvant; ne imprudentibus ac a personarum conditione alienis interrogationibus poenitentes suos, pueros praesertim, ac feminas peccandi modum, quem prius ignorabant, edoceant; neve vitia carnis curiose nimis, et incaute investigando tam sibi, quam poenitentibus laqueum tentationis injiciant.

Advertant etiam, quando, et quibus conferenda, vel deneganda, aut (3) differenda sit absolutio, nec absolvant eos,

(1) Innocen. XI. prop. dam. N.ro 64.
(2) Idem prop. dam. N.ro 59.
(3) Idem Dec. 61, 62 et 63.

qui talis Beneficii sunt incapaces; scilicet Concubinarios, in proxima peccandi occasione constitutos, consuetudinarios, et alios a summistis passim recensitos.

Mariti quoque, et Uxores temere, et cum injuria Sacramenti sine autoritate Ecclesiae separati viventes beneficio absolutionis careant; absolvendus tamen erit Vir, si Uxor absque ejus culpa aufugerit, item Uxor, si sine propria culpa a Viro fuerit expulsa, vel derelicta. Si Confessarii in excipiendis Confessionibus noverint, poenitentes fuisse a quibusdam Sacerdotibus tam saecularibus, quam regularibus allectos, provocatos, et sollecitatos in (1) actu Sacramentalis Confessionis ad turpia, et inhonesta quomodolibet perpetranda aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones, sive tractatus habuisse, eos serio moneant de obligatione eosdem sollicitantes ad Ordinarios respectivos defferendi. Quod si quis eo iniquitatis procedat, qui odio, ira, rancore, aut alia quavis causa permotus, vel aliorum impiis persuasionibus incitatus, posthabito **Dei** judicio, et Authoritate Ecclesiae contempta innoxium Sacerdotem apud ecclesiasticum Judicem falso sollicitationis insimulasset, vel, ut ab aliis id fiat, procurasset, casum incurrit Summo Pontifici reservatum, a quo (excepto mortis articulo) a nullo unquam Confessario, praeterquam a Summo Pontifice absolvi possit.

Dum confitentem etiam de immanibus flagitiis, et atrocioribus criminibus se accusantem audiunt, vel peccatorum circumstantias exquirunt, nulla indignationis, aut impatientiae indicia praebeant, ne poenitentem ab exponendis reliquis peccatis absterreant; quin potius, quae opportuna judicaverint pacato animo, et paterna mansuetudine suggerant, et peccatorem spe veniae sustentent, ut deposita omni damnosa verecundia animi sui sinus, et conscientiae latebras libere, ac cum fiducia pandat. Si quae monita danda, vel remedia praescribenda, aut objurgationes, et increpationes ingerendae sint, eas ad finem Confessionis servent.

Terminata peccatorum confessione Confessarii explorato statu, et conscientia poenitentis, factisque, si quae necessariae videantur, interrogationibus miserrimum peccantium statum, et perniciosissimos peccatorum effectus ei-

(1) Bened. XIV. Const. quae incipit. Sacram. Poenit.

dem ob occulos ponant, amissionem videlicet gratiae et amicitiae **Dei**, aeternae beatitudinis, et coelestis haereditatis jacturam, durissimum Daemonis mancipatum, perpetuae damnationis reatum, et inferni supplicia, aliasque poenas et calamitates, quibus **Deus**, aequissimus Judex, et Vindex accerrimus, non in futuro tantum, verum etiam in praesenti saeculo peccatores castigat. Praeprimis vero Divinae Majestatis, ac infinitae Bonitatis offensam exaggerent qua vilissimus terrae vermiculus adversum Dominum et Creatorem suum consurgit, **Filium Dei** conculcat, et Sanguinem **Jesu Christi** pollutum ducit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiae contumeliam facit, ut hac ratione poenitens agnita peccatorum suorum turpitudine, malitia et gravitate, salutari timore concussus, vel apprehensa **Dei** bonitate, ejus amore succensus, praeteritos annos in amaritudine animae suae recogitet, admissa peccata toto corde detestetur, a committendis caveat, et ad meliorem vitam inchoandam aspiret.

His ita peractis, et explorato praesertim confitentis dolore, ac proposito - in quorum manifesto defectu, ne in mortis quidem articulo absolutionis Beneficium ulli impertiendum est - debent Confessarii, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et poenitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, aliorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae occulis, ut imposita poenitentibus satisfactio non ad novae vitae tantum custodiam sit, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem.

Injuncta poenitentia salutari, et repetito, si videbitur, contritionis ac propositi actu, Confessarii consultas preces, et formam absolutionis in Rituali Romano praescriptam: Ego te absolvo a peccatis tuis in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: submissa voce, distincte tamen, graviter, ac religiose pronuncient.

Sanctissimum Confessionis sigillum, et inviolabile Sacramenti Secretum Confessarii semper, et ubique custodiant. Quod in Sacro poenitentiae Tribunali audiverunt, nullo unquam cujuscumque, etiam urgentissimae, necessitatis

praetextu sive magnum sive parvum, directe vel indirecte, verbis, signis, scripto, gestu, aut ulla alia ratione prodere, aut revelare ausu sacrilego, sub gravissimis poenis per sacros Canones statutis praesumant, exemplo D. Janni Nepomuceni mori potius parati; quod si quandoque poenitentes ipsi consentiant, et rogent, ut de auditis in Confessione Confessarii loquantur, caveant semper, ne consensum hujusmodi ulla importunitate aliave ratione detorqueant, sed eum ex spontanea, et libera poenitentis voluntate profectum in urgentissimis tantum casibus recipiant, nec data sibi a poenitentibus venia soepius utantur, quam eorum voluntas, et emergentis necessitatis casus, cui tollendae aliud remedium non suppetitat, requirat.

Observent porro Confessarii, et advertant, se non hominum exercere Judicium, sed Domini, et quodcumque judicaverint in se redundaturum; caveant ne quempiam a casibus et censuris sive Summo Pontifici, sive Nobis, aut Ordinariis suis specialiter reservatis, sub quocumque privilegiorum, si Regulares maxime sint, praetextu absolvant, imo quamvis facultatem quis habeat a casibus omnibus summo Pontifici reservatis absolvendi, non ideo tamen, se a casibus Ordinario jure reservatis absolvere posse arbitretur.

Parentibus, qui in educandis prolibus debitam non adhibeant diligentiam, quique eas necessariis Fidei rudimentis ipsi nec instruunt, nec instruendas ad doctrinam Christianam mittunt; Patribus matribusque familias, qui domesticos suos, famulos et ancillas a vitae licentia et peccandi occasionibus retrahere, et ad studia pietatis admonere negligunt, tam diu absolutio differatur, donec muneri suo hac in parte satisfecerint; qua super re Confessarii patres matresque familias soepius in Confessione interrogent, eisque debitam vigilantiam gravibus verbis inculcent. Feminas vero procaces, et scandaloso ac curto, nec ad talos producto vestitu incedentes, ut in nonnullis Carinthiae partibus observatum est, nec Confessarii ad poenitentiam, nec Parochi ad alia Sacramenta admittant, nisi habitu ad verecundiam et Christianam modestiam composito ad Ecclesias, et in publico compareant.

